



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 4. An Leges fundatæ in præsumptione obligant in conscientia?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

Q. 4. *An Leges fundatae in praesumptione obligant in conscientia?*

Nota. Duplex est praesumptio, altera periculi, seu potentiae, quae frequenter ad actum reducitur; & altera facti, quae factum aliquod in particulari praesumitur. Porro non videtur ulla lex fundari in praesumptione facti, secus de praeecepto particulari. Quare.

Resp. I. Lex fundata solum in praesumptione periculi, semper obligat in conscientia. Quia. 1. Leges illae semper nituntur veritate, ac iudicio certo periculi, ut saepe, vel aliquando contingentis, quod semper verum est. 2. Legislatores intendit per illas obligare, etiamsi eventus periculi non interveniat in aliquo casu particulari. Nam bonum commune postulat, ut omnes, & semper obligentur: alias non impediretur efficaciter malum, quod saepe evenire posset, etiam cum ejus periculum non perspicitur: & multi, imo plerique sibi falso persuaderent non existare periculum respectu sui: & sic lex paucos obligare conferetur. Hinc lex vetans, & irritans Matrimonia clandestina fundata in periculo fraudis, scelerum, & incommodorum, quae ex illis facile oriri possunt, obligat etiam in casu, in quo ista certo non evenirent.

Resp.

Resp. II. Præceptum fundatum in præsumptione facti, quod in re ipsa supponitur, non obligat in conscientia, non subsistente veritate facti: quia tunc non subsistit fundamentum præcepti, nec proinde obligatio ejus; nec tunc Superior intendit obligare, cum nulla sit ratio obligandi. Sic mulier non tenetur obedire Episcopo præcepti, ut reddat debitum ei, cui ipse præsumit eam esse validè conjunctam, cum tamen non sit propter occultum impedimentum; imò peccaret, si obediret.

Q. 5. An Lex humana potest obligare cum gravi nocumento, seu damno?

Nota. Certum est legem naturalem obligare ad sui observationem, etiam cum damno vitæ in iis circumstantiis, in quibus viget, seu jubet, vel vetat aliquid. Quia non præcipit, nec vetat, nisi id, cujus commissio, vel omissio dedecet naturam rationalem, estque intrinsecè mala. Non licet autem ad vitandam mortem, & quodvis supplicium, facere aliquid intrinsecè malum etsi leve: nam quod est ex natura rei malum, ac illicitum, tale est in quovis periculo, & damno. Item id, quod à Deo præcipitur ut medium absolutè necessarium ad salutem animæ, obligat cum quovis damno temporali etiam vitæ; cum salus æterna sit rebus omnibus temporalibus anteponenda.

F 4

Resp.